

† **P. Ioannes de Matha Hudeček (1870-1957)**
(*Prov. Pragensis*)



Ipse Pater I. Hudeček Romae, mense martio anni 1939 curriculum propriae vitae scripsit. Textus omnino immutatus infra assumitur. (Cfr. etiam p. 60).

Cum Dominus iam pulset ad ianuas, et nesciam diem neque horam, breviter scribam facta principalia vitae meae. Ea quidem ratione, ne, me defuncto, tempus et laborem amittat qui forte necrologium componere velit, et ne facta narrentur modo inexacto vel exaggerato.

Omnino mihi abest intentio me laudandi et gloriandi; nihil enim feci quod laudem et multum quod vituperium mereretur. Deus iudex est.

Incipio vitâ in Congregatione SS. Redemptoris, quia vita antecedens mentione digna non est. Fui puer ut communiter sunt pueri: amavi lecturam pulchrae litteraturae et neglexi studium serium, in parvo Seminario puerorum Cremsirii in Moravia.

Vota emisi 17 septembris 1890, in Eggenburg in Austria. Sequens vita in Mautern erat pro me felicissima, imo dicerem maxime felix totius meae vitae religiosae. Conabar sequi axioma studentatus: « Soli Deo et studiis ».

Ad Subdiaconatus Ordinem promotus sum die 16 iulii 1895, quae fuit festum B.M.V. de Monte Carmelo, in Ecclesia Cathedrali ad S. Aegidium Abb. Graecii in Styria ab Exc.mo Episcopo Leopoldo Schuster, homine docto et humili. Sequebatur ibidem et ab eodem promotio ad Diaconatus Ordinem die 18 iulii 1895, festo S. Camilli de Lellis. Et ad Presbyteratus Ordinem die 21 iulii 1895, festo Divisionis SS. Apostolorum. Uno adhuc anno post Ordinationem potui frui felicissima vita in studentatu Mauternensi.

Ad finem anni scholastici 1896, manifestavit mihi Provincialis P. Ioannes Schwiembacher, sacerdos exemplaris, superior paternus, moralista et pastoralista excellens, me destinatum esse qui Romae studia superiora et quidem phi-

losophica absolverem. Cum tamen annus scholasticus Romae incipiat demum initio mensis novembris, P. Schvienbacher misit me Leobium, ubi classis septima et octava gymnasiū nostrorum incoepit, ut usque ad novembrem essem lector et socius studentium. Quantum gaudebam quando Leobii ingressus sum in cubiculum « meum ». (Mauternae enim simul habitabamus plures studentes!). Et quanta cum diligentia me praeparabam ad scholam! Et quanta cum pietate recitabam s. officium! Etiam haec brevis commoratio mihi valde erat felix.

* * *

Ad finem octobris cum P. Iosepho Pejška profectus sum Romam: cum gaudio, sed etiam cum aliqua anxietate. Padovae s. missam ad S. Antonii corpus celebravimus. Romae excepti sumus magna cum charitate a Rev.mo P. Generali Raus, vero et sincero patre. Consultores Generales eius tunc erant: Pl. R. Patres Dubois, Dilgskron, Berthe, Magnier, Bresciani, Schwarz et Procurator Gen. Oomen: omnes viri reverendi et nonnulli eorum boni scriptores.

Aliqui eorum contrarii erant meis studiis in philosophia, quae incoepi in Scholis Propagandae Fidei, utpote quae « periculum afferre possent doctrinae S. Alfonsi », et postulabant ut R. mus P. Raus me mitteret in scholas ad S. Apollinaris iuris canonici, ita ut post hebdomadam una cum P. Pejška frequentarem « Apollinare ». Non parvum mutatio haec pro me erat sacrificium, quia amabam philosophiam et aversus eram iuri canonico. Sed et in hac circumstantia apparet bona Providentia divina, quia in mea posteriori vita, ultimis praesertim annis, totus quantus deditus eram studiis iuridicis in Congregationibus Romanis, imprimis in Suprema S. Congr. S. Officii.

Studium iuris canonici bene procedebat. In examinibus pro gradibus retuli vota pro baccalaureatu 8 ex 9; pro licentiatu 9 ex 9; pro doctoratu 50 ex 50. In labore scripto pro doctoratu retuli omnia vota et accepi decretum et numisma aureum « quia in examine tum scriptis tum oratenus omnia retuli vota ».

In examinibus concursus in schola iuris canonici pomeridiana, quam dirigebat R. mus, postea Emin. mus, Lega, proemium primum tuli et numisma aureum, dum proemium secundum et numisma argenteum tulerunt: Reverendi Salotti, Kašpar, Pejška: duo primi postea Cardinales.

Studium iuris canonici Romae absolveram a. 1898 et reversus sum Mauternam, nominatus lector philosophiae (annis scholasticis 1898-99 et 1899-1900) et dogmaticae (annis 1900-1901 et 1902).

Mauternae cognovi aliquantulum vitam apostolicam. Partem habui in missionibus praedicatis a nostris Puchheimensibus in Traun pro fidelibus bohemis; et a nostris Eggenburgensibus praedicatis in Gross-Sieghardsdorf et in Schattau in Moravia. Praeterea praedicavi triduum eucharisticum solum in Trofaiach, et

bis in Steinz, semel cum P. Rösler et semel cum P. Oberrauch. Anno 1900 una cum P. Rösler adfui Congressui catholico doctorum « Katholischer Gelehrtenkongress » in München.

Anno 1901 erecta est a R.mo P. Raus Provincia Pragensis. A Provinciali Nĕmec anno 1902 vocatus sum in studentatum in Obořiště et a R.mo P. Raus nominatus Praefectus studentium et lector philosophiae, postea lector dogmaticae. Vita in Obořiště amoena et felix erat, imprimis ob relationes familiares cum populo illius pagi adhuc simplici, sincero et pio. Ob parvam experientiam praefectus studentium non potui esse bonus; hodie acquisitis experientiis in vita religiosa et Congregationis, aliter studentes educarem. Nihilominus omnes mei antiqui studentes mihi servarunt gratitudinem et affectionem usque ad hodiernum diem. Praefectus fui annis 1902-1908, quo anno mense septembri vocatus sum Romam.

In studentatu Obořištěnsi vivum erat desiderium conversionis Slavorum imprimis Russorum ad fidem catholicam; ad quem finem studentes peragebant preces et mortificationes, uniti in Liga Cordis Eucharistici; quae devotio eos simul incitabat ad spiritum panslavisticum fovendum, in quo studio eos libentissime adjuvabam. Ex illo studio ortus est postea apostolatus Unionis, qui exercetur imprimis a Patribus qui ritum byzantino-slavorum receperunt et in hoc ritu pro Ukrainis laborant in Michalovce et Stropkov.

Hoc spatio exercitia spiritualia praedicavi sacerdotibus, et quidem bis in Archidioecesi Pragensi, semel in Dioecesibus Reginae Gradecensi, Budovicensi, Litomericensi et seminaristis in alumnatu Olomucensi et Reginae Gradecensi, necnon monacis O.S.B. in Abbatia Raihradensi in Moravia. In Archidioecesi Olomucensi praedicavi sacerdotibus exercitia spiritualia, vocatus Romam anno 1913, ni fallor. Itaque in omnibus dioecesibus Bohemiae et Moraviae. Insuper praedicavi exercitia spiritualia sacerdotibus in domibus nostris Pragensi et in Sacro Monte, et quidem pluries.

Vocatus Romam veni mense septembri 1908 et mense novembri nominatus sum a Summo Pontifice Pio X Qualificator S. Officii. Ab illo tempore plurimos labores, qui per modum votorum prelo impressi et in archivo S. Officii depositi sunt, praestiti.

* * *

Capitulum Generale anno 1909 me elegit Consultorem Generalem, in quo munere usque hodie sedeo. Deus O.M. me ad hoc munus vocavit et a Deo O.M. exspecto a munere liberationem, quam toto corde anhele, relinquens tamen rem Providentiae divinae.

Labor Consultoris Generalis est minimus. Providit tamen SS. Redemptor meoque desiderio laborandi satisfacit muneribus in SS. Congregationibus Romanis. Anno 1908 nominatus sum Qualificator Supremae S. Congr. S. Officii; instituta a Benedicto XV S. Congregatione Orientali nominatus sum eius Consultor; bello finito nominatus sum Consultor S. Congr. de Propaganda Fide; et demum, iam quasi senex, a Pio XI nominatus sum Consultor Supremae Congr. S. Officii anno 1937. Ita labor revera non deest, imo superat meas vires. Hucusque tamen miro modo me Deus adiuvabat et laborem mihi designatum sine difficultate praestare potui, mea aetate non obstante.

Interim a S. Sede concreditae mihi erant plures missiones. Anno 1925 nominatus sum Visitator Apostolicus omnium Religiosorum linguae bohemicae in Bohemia, Moravia et Silesia. Anno 1934 Visitator Apostolicus dioecesium Ruthenarum in Polonia, scilicet Leopoliensis, Stanislao-politanae et Premisliensis. Anno 1938 Visitator Apostolicus Seminariorum Orientalium in Uzhorod et in Prešov. Quae munera quidem sat difficilia et delicata erant, nihilominus mihi gratissima quia de vicino cognoscere potui res et homines, sacerdotes et Episcopos ritus byzantino-slavici, nobis Bohemis et Redemptoristis tam cari.

Nec mihi Consultori Generali defuit aliquis labor apostolicus: ab anno 1909 eram et sum confessarius ordinarius alumnorum Collegii Bohemi, nunc Nepomuceni; et usque ad annum 1935 confessiones audiebam surdomutarum in Instituto ad SS. Quatuor Coronatos; qui labor valde correspondebat cordi meo, quia illae surdomutae, animae sunt valde pauperes et vitam degunt labore et mortificatione et miseria onustam; et sunt animae praedilectae Cordi Iesu.

Saevientem bello europaeo commorabar in Bertigny ad Friburgum in Helvetia, ubi P. (postea Exc. mus) Sieffert tunc temporis erat Rector et Director Iuvenatus. Nescio quo anno nostri missionarii illius domus praedicabant missionem in oppido N. ad Zurigum. Superior missionis P. Maier me arcessivit ad praedicandum lingua italica operariis italis. Ita, non missionarius, praedicavi in tribus missionibus tribus linguis: in Traun lingua bohemica, in Schattau lingua germanica et apud Zurigum lingua italica. (in Gross-Sieghardsdorf non praedicavi, sed confessiones tantum audivi).

Romae maximam gratiam habui, videndi quinque Summos Pontifices: Leonem XIII, Pium X, Benedictum XV, Pium XI et Pium XII, ex quibus familiariter, sive occasione mearum visitationum apostolicarum sive in audientia R. mi P. Generalis Murray, colloctus sum cum Pio X, Benedicto XV et prae-

sertim cum Pio XI. Quomodo tales favores meritus sum? Vita mea referta est gratiis boni Dei. « Non secundum peccata nostra fecit nobis » (Ps. 102, 10). « Benedic anima mea Domino; et noli oblivisci omnes retributiones eius » (Ps. 102, 2).

P. I. HUDEČEK, C.SS.R.



Photographia facta in Moravec a. 1952
P. Hudeček, inter sedentes, secundus a sinistra

Omnes sciunt Patrem Ioannem Hudeček, qui usque ad annum 1947 Romae vixit ut Consultor Generalis, post Capitulum Generale huius anni reversum esse in patriam. Ibi adscriptus est Collegio nostro de Svatá Hora prope Přebram. (Cfr. Catalogum generalem C.SS.R. anni 1948, p. 673, ubi tamen non dicitur P. esse doctorem Iuris canonici). Postea, mutatis conditionibus civilibus et religiosis in Cechoslovacchia, ultimis 7 annis vixit insimul cum aliis sacerdotibus et religiosis in Moravec, ubi mortuus est die 12 mart. 1957, annos natus 87, post 66 annos ab emissis votis, et post 61 annos a recepta ordinatione sacerdotali.

